

attributum corporis dicitur superius attributo viventis, quia sunt longe plura, quibus competit ratio corporis, quam ea sint, quae vita donantur.

XLIV. AUREA — AUREOLA. His vocibus Theologi utuntur. *Aurea* est praemium essentiale hominis, sive beatitudo, quae consistit in eo quod ipse perfecte Deo fruatur. *Aureola*, seu corona, est quoddam praemium¹ accidentale, quod essentiali superadditur, ob singularium virtutum eximios actus. Eius definitionem tradit s. Thomas iis verbis: « Privilegium praemium privilegiatae virtuti respondens¹ »; id est gaudium quoddam accidentale, quod Beati percipiunt ex victoria, quam vi alicuius particularis virtutis consecuti sunt. Hinc secundum triplicem triumpahalem victoriam, quam de triplei hoste perfecte in hac vita consequuntur, mundo, carne, et diabolo, de mundo per martyrium, de carne per virginitatem, de diabolo, a se, et a cordibus aliorum expellendo per doctrinam et praedicationem, triplex assignatur aureola, Martyrum, Virginum, et Doctorum.

A

EFFATA

I. AB EODEM RES HABET, QUOD SIT ENS, ET QUOD SIT UNA².

II. AB EXTREMO AD EXTREMUM NON DATUR TRANSITUS, NISI PER MEDIUM³.

III. ABSOLUTUM EST PRIUS RESPECTIVO. Est nempe prius *natura*, quia hoc ab illo pendet, non contra: *Dignitate*; quo enim aliquid a pluribus pendet, eo est imperfectius; relatio autem pendet a subiecto, fundamento, et termino, dum e contrario absolutum dicitur *quasi ab alio solutum*, seu disiunctum a respectu ad aliud: *Cognitione*, quae scilicet rerum origines, et relationes investigat, seu quae circa relativa, prout relativa sunt, versatur, non item quae res in seipsis inspicit.

Haec autem circa idem effatum adnotanda sunt: 1º Ab-

¹ In lib. IV Sent., Dist. XLIX, q. V, a. 5.

² Vid. Unitatem ab eodem res desumit, etc., litt. U.

³ Vid. litt. E.

solutum semper est prius *respectivo*, quod in ipso fundatur, non item omni *respectivo*; e. g., *esse hominem* est prius, quam esse causam effectuum, qui ab eo producuntur, non autem est prius quacumque alia causa. 2º *Relatum*, cuius essentia in relatione omnino consistit, posterius est absoluto; e. g., *esse servum* est posterius, quam *esse hominem*; at illud, cui relatio attribuitur, non oportet, ut sit posterius; e. g., illud, cui attribuitur *esse causam*, non semper est posterius, quam *esse substantiam*. Quam ob rationem minus relatum non est ante magis relatum; siquidem « quanto causa est prior, tanto habet relationes ad plures effectus¹ ». 3º In Divinis hoc effatum locum non habet, quia *Essentia Divina*, cum a relationibus reipsa non distinguatur, illis prior dici non potest.

IV. ABSTRACTIUS QUO ALIQUID EST, EO SIMPLICIUS EST. Etenim si abstractio circa aliquam rem ulterius progrediviat, minor fit numerus proprietatum, quae in ea reperiuntur. E. g., *simplicius* est *esse substantiam*, quam *esse corpus*. Ex quo intelligitur illud effatum veritate gaudere, si illud, quod abstrahitur, reipsa distinguatur ab illo, a quo abstrahitur, ita ut ex utroque aliqua compositione existat. Quocirca adhibendum non est in Divinis; etsi enim natura Divina abstracta a Persona intelligatur, tamen non est ea *simplicior*, siquidem nulla inter utramque realis est distinctio².

V. ABSTRACTUM EST FORMA CONCRETI. Scilicet abstractum est id, a quo concretum denominatur; e.g., ab albitudine res dicitur *alba*, et a visione res dicitur *visa*. Ex quibus exemplis patet *formam* hic sumi pro ratione, per quam aliquid denominatur, quae necesse non est ut sit in ipsa re, cum possit etiam esse aliquid principium extra rem, et a quo ista pendet, siquidem *visio*, ex qua res denominatur *visa*, est extra rem *visam*. Hac ratione, quemadmodum s. Bonaventura adnotavit, aliqui homines ex Divinitate denominantur divini, ut *divinissimus Paulus*, vel *divinissimus Iohannes*³.

VI. ABSTRACTUM EST PRIUS CONCRETO. *Abstractum* non est quidem *cognitione* prius *concreto*; nam, ut passim do-

¹ 1^a 2^{ae}, q. XVI, a. 4 ad 2.

² Vid. s. Bonav., In lib. I Sent., Dist. XXXIV, a. I, q. 1 ad arg.

³ In lib. III Sent., Dist. XI, dub. 3.

cet s. Thomas, naturalis nostra cognitio a sensu, proinde ex concretis principium sumit. Neque *tempore*, aut *dignitate* abstractum est prius concreto, illud enim ab isto, tamquam a subiecto pendet; e. g., albitudo est posterior cygno, cui inhaeret. Quocirca abstractum est *natura* prius concreto, tantum si spectetur veluti forma, ex qua concretum, uti antea diximus, denominationem accipit; quo sensu *doctrina* est prior *natura*, quam *homo dotus*; siquidem forma est *natura* prior, quam id, cuius est forma.

Huius effati explicatio attente consideranda est, ne cum Transcendentalibus abstractum ita prius concreto intelligatur, ut tamquam principium cognitionis et realitatis rerum assignetur.

VII. ABSTRAHENTIUM NON EST MENDACIUM. Idest, qui abstrahit, non ideo in errorem inducitur, quia abstrahit. Intelligendum autem hoc est non quidem de abstractione *negativa*, sed de *praecisiva*, de quibus supra. Qui enim alterum cognoscit, omittendo alterum, nihil negat, adeoque non errat; siquidem error non est rem aliquam ex parte cognoscere et intelligere, dummodo nihil ei repugnans, aut extraneum assingatur. Hinc qui considerat hominem, quin in eo consideret rationem, non mentitur. Item, « intellectus mathematicorum non est falsus, quamvis nulla linea sit abstracta a materia in re¹ ».

Hanc ob rationem demonstratur intellectum non errare, cum essentiam rei ab accidentibus, quibuscumque reipsa coniungitur, seiunctam considerat.

VIII. ABUSUS NON TOLLIT USUM. Variis exemplis s. Augustinus hoc effatum explicavit: « Non ideo, inquit, contemnda, vel detestanda virginitas Sanctimonialium, quia et Vestales virgines fuerunt; sic non ideo reprehendenda sacrificia patrum, quia sunt et sacrificia gentium² ». Item: « Neque enim pro patria non est armandus miles, quia contra patriam nonnulli arma sumserunt; aut ideo uti non debent boni doctique medici ferramentis medicinalibus ad salutem, quia his ad perniciem etiam indocti pessimique abutuntur³ ». Ratio est, quia, aiente eodem

¹ S. Thom., In lib. I Sent., Dist. XXX, q. I, a. 3 sol.

² Contr. Faustum, lib. XX, c. 21.

³ Contra Crescon., lib. I, c. 1.

sancto Doctore, « non facultas culpabilis est, sed ea male utentium perversitas⁴; quocirca, « non ideo debent oves odisse vestimentum suum, quia plerumque illo se occulant lupi⁵ ».

IX. ACCESSUS EST PRIOR, QUAM RECESSUS. Nempe est prior non quidem in executione; nam « in executione prius est recedere ab uno termino, quam accedere ad alterum⁶ »; sed in intentione; « propter hoc enim receditur ab uno termino, ut accedatur ad alterum⁷ ». Cuius ratio est, quia « accessus per se respicit id, quod est conveniens naturae; recessus autem per se respicit id, quod est contrarium⁸ ».

X. ACCIDENTS EST ENTIS ENS. et ACCIDENTIS ESSE EST INESSE. Nimirum: Accidens, si secundum propriam et intrinsecam rationem spectetur, est quidem aliquid ens; sed quoniam ens simpliciter et principaliter significat esse per se, ac proinde substantiam; esse autem accidentis exigit inhaerentiam substantiae, ideo accidens dicitur *ensis ens*, quia referunt ad substantiam, ac proinde non habet esse simpliciter, nempe ita perfectum, sicut substantia. « Essentia, subdit s. Thomas, proprie et vere est in substantiis, sed in accidentibus est quodammodo, et secundum quid⁹ ».

Quocirca vi huius effati sententia Lockii refutatur assertoris substantiam in qualitatum complexione consistere. Qualitates enim sunt accidentia. Atqui accidentia, cum sint *ensis entia*, principaliter et perfecte non sunt ens. Ergo substantia, si ex ipsis qualitatibus constitueretur, non esset proprie et perfecte ens; id quod eius notio nomen destruit.

Ex hoc theoremate illud alterum sequitur: **ACCIDENTIS ESSE EST INESSE.** Non quidem ita ut inesse significet esse accidentis absolute, sed modum essendi, qui sibi convenit ex ordine ad subiectum, cui inhaeret. Insuper accidentis esse est inesse, non quatenus ad essentiam accidentis requiritur, ut actu inhaereat subiecto, sed quatenus accidentis necessario ordinem habet ad hoc, ut alteri insit,

¹ De Doctr. Christ., lib. II, c. 36.

² Serm. Dom. in monte, lib. II, c. 24.

³ 1^a 2^{ae}, q. XXXIX, a. 2 ad 3.

⁴ Ibid., q. XXXVI, a. 1 c.—⁵ De ente et essentia, c. 2.

et recipiatur in subiecto sibi accommodato¹. Hinc accidentia absoluta, de quibus supra², non sunt huiusmodi, ut subsistant per se, quemadmodum substantia, sed sustinentur a Deo sine subiecto, et *actu* quidem non sunt in substantia, *potestate* vero et *exigentia* in substantia sunt, quia etiam dum *actu* existunt sine substantia, postulant esse in substantia.

XI. ACCIDENS EST EXTRA SUBSTANTIAM. Non quidem quatenus accidentis possit neque *actu*, neque *potestate* et *exigentia* esse extra substantiam, siquidem accidentis *esse*, ut paulo ante diximus, est *in esse*; sed quatenus ad aliud rerum genus a genere substantiae diversum pertinet. Quocirca accidentis est *extra substantiam* ratione *essentiae*, idest accidentis essentia nulla ratione in essentiam substantiae ingredi potest, secus substantia non foret ens *per se*, sed *per accidentem*.

Hinc illa alia effata: **ACCIDENS NON EST DE ESSENTIA SUBSTANTIAE.** Quod tamen intelligendum est, prout substantia spectatur absolute et in se, non vero prout substantia consideratur talis. Sic doctrina pertinet ad hominis docti essentiam. *Et, ACCIDENS NON CONSTITUIT SUBSTANTIAM.* Id est, non potest accidentis esse internum substantiae principium, tum quia causa non potest esse deterior suo effectu, tum quia accidentis posterius est substantia. Potest vero accidentis constituere substantiam, tamquam principium illi extrinsecum, nempe, cum sit instrumentum illius substantiae, cui inhaeret, potest aliam substantiam producere. E. g., calor constituit pullos, non intrinsece, sed extrinsece, tamquam instrumentum substantiae, quae per calorem pullos excudit.

XII. ACCIDENS NON EST ACCIDENTIS ACCIDENS, vel, ACCIDENS NON EST SUBIECTUM ACCIDENTIS. Nempe: Nullum accidentis esse potest *primum* et *radicale* fundamentum, seu *fundamentale* subiectum alterius accidentis. Cum enim accidentis expositulet subiectum, in quo insit, non potest per se esse subiectum alterius accidentis. Quod si quandoque unum accidentis alteri accidere dicitur, hoc intelligendum est, quatenus unum simul cum altero eidem subiecto inest; id quod, uti adverbit s. Thomas, contingere potest vel

¹ Vid. s. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1, sol. 1 ad 1.

² Pag. 8.

absque aliquo ordine, puta cum accidentis, ut idem homo, qui est musicus, sit etiam albus; vel cum aliquo ordine, nempe quia subiectum recipit unum accidentis per aliud, sicut corpus recipit colorem per superficiem; quam ob rationem dicimus unum accidentis, e. g., colorem esse in superficie¹. Quocirca accidentis numquam est subiectum alterius, nisi per substantiam, cuius est accidentis².

Clarius etiam cum eodem sancto Doctore hoc modo idem effatum explicatur: « Subiectum tripliciter comparatur ad accidentis. Uno modo, sicut praebens ei sustentamentum... Alio modo sicut potentia ad actum... Tertio modo sicut causa ad effectum... Quantum igitur ad primum, unum accidentis alterius subiectum esse non potest; nam, cum nullum accidentis per se subsistat, non potest alteri sustentamentum praebere, nisi fortasse dicatur, quod, in quantum est a subiecto sustentatum, aliud accidentis sustentat. Sed quantum ad alia duo, unum accidentis se habet ad aliud per modum subiecti, nam unum accidentis est in potentia ad alterum, sicut diaphanum ad lucem, et superficies ad colorem. Unum etiam accidentis potest esse causa alterius, ut humor saporum, et per hunc modum dicitur unum accidentis alterius accidentis esse subiectum; non quod unum accidentis potest alteri accidenti sustentamentum praebere, sed quia subiectum est receptivum unius accidentis altero mediante, et per hunc modum dicitur potentia animae esse habitus subiectum³».

XIII. ACCIDENS NON EST NOBILIUS SUO SUBIECTO. Videlicet, dummodo accidentis tamquam huiusmodi consideretur; subiectum enim est ens per se, accidentis vero in alio, atque a subiecto, cui inhaeret, habet rationem accidentis. At vero, accidentis nobilior est subiecto, si comparetur ad ipsum, tamquam actus ad potentiam; nam hac ratione accidentis perficit subiectum; e. g., veritas creata est nobilior anima, quae illam cognoscit, quatenus est perfectio ipsius animae. Quod s. Bonaventura explicat hunc in modum: « Etsi nullum accidentis sit nobilior substantia, prout accidentis comparatur in se, quantum ad essentiam generis, sive quantum ad esse primum; nihilominus tamen, prout

¹ 1^a 2^{ae}, q. VII, a. 1 ad 3.

² In lib. I Sent., Dist. III, q. IV, a. 3 ad 2.

³ Qq. dispp., *De Virtut.*, q. I, a. 3 c.

accidens comparatur in subiecto, et includit esse subiecti, quamdam nobilitatem superaddit quantum ad esse secundum¹. Insuper, aliquod accidens est nobilior substantia, quatenus per ipsum substantia coniungitur alicui nobiliori se; quo modo beatitudo creata, et gratia, et alia huiusmodi sunt aliquid nobilior natura animae, cui inhaerent². Hinc, uti Seraphycus Doctor subdit, accidens, quod ab agente extrinseco producitur, potest esse nobilior subiecto, quia, si ab aliquo superiori producitur, « iungit ipsum, et conformat ei, quod est ipso superius. Quod si ortum habet ab Ente supremo, si eius infusio, vel origo sit secundum perfectam influentiam, non solum habet nobilitare, verum etiam consummare, et quietare. Et hoc non facit tantum ratione sui, verum etiam ratione Eius, a quo procedit, in quo reperitur omnis perfectio, et bonorum omnium aggregatio³.

XIV. ACCIDENS NON EXTENDIT SE ULTRA SUUM SUBIECTUM. Id verum est *subiective*, quatenus nempe accidens non potest esse, nisi in subiecto proprio, puta color non nisi in corpore, numquam in spiritu esse potest; unde s. Thomas sententiam eorum refutat, qui opinantur accidentia panis et vini, quae in Sacramento Eucharistiae manent post Consecrationem, esse, sicut in subiecto, in aere circumstante⁴. Non item *effective*; nam actio accidentis potest versari ultra suum subiectum; e. g., calor ignis ultra suum subiectum, licet secundum conditionem eius, agit, cum calefacit aquam.

XV. ACCIDENS NON MIGRAT DE SUBIECTO IN SUBIECTUM. Sermo hic est non de accidente eodem specie, istud enim modo in uno, modo in alio esse potest; sed de accidente eodem numero, non enim haec albitudo transit de pariete in pallium. Ratio est, quia accidens numerum a subiecto accipit; ac proinde fieri non potest, ut idem numero manens sit quandoque in hoc, quandoque in illo subiecto. Quocirca, adnotante s. Thoma, cum in Scripturis gratia de subiecto in subiectum transire dicitur, « talis actus lo-

¹ In lib. II Sent., Dist. XXVI, a. 1, q. III ad arg.

² Vid. s. Thom., In lib. IV Sent., Dist. XLIX, q. I, a. 2, sol. 1 ad 5.

³ Ibid., et In lib. IV, Dist. XLIX, p. I, a. 1, q. 1 ad arg.

⁴ 3, q. LXXVII, a. 5.

quendi intelligitur propter similitudinem gratiae ad similes actus in specie¹.

Hoc effato autem abutuntur ii, qui inde rebus naturalibus virtutem agendi denegant, quasi per earum actionem idem numero accidens de subiecto in subiectum migraret. At vero « non hoc modo dicitur corpus calidum calefacere, quod idem numero calor, qui est in calefaciente corpore, transeat ad corpus calefactum; sed quia virtute caloris, qui est in calefaciente corpore, aliis calor numero fit actu in corpore calefacto, qui prius erat in eo in potentia² ».

XVI. ACCIDENS NON POTEST CONVENIRE ALICUI UT GENUS. Nempe respectu sui subiecti. E. g., color non est genus corporis. Potest vero respectu suorum inferiorum; sic enim color est genus respectu albi et nigri. Et quoniam genus de suis inferioribus aequali ratione praedicatur, ideo accidentia de suis inferioribus non dicuntur praedicari secundum magis et minus, sed hoc modo de suis subiectis tantum praedicari possunt, quatenus haec magis vel minus illam formam participare possunt.

XVII. ACCIDENS NON POTEST CORRUMPERE SUBIECTUM. Id est efficienter; nam subiectum corrumpitur, cum transmutatur, nempe cum propriam formam substantialem amittit, novamque adquirit; impossibile autem est accidens transmutare subiectum, quia formam substantialem in subiectum minime inducit. Sed potest accidens *dispositive* corrumpere subiectum, quatenus ipsum ad transmutationem, hoc est ad novam formam in se recipiendam disponit. Hoc modo febris pestilens corpus corrumpere dicitur: « Accidens non corrumpit subiectum effective. Posita enim qualitate, quae est necessaria dispositio ad formam ignis, scilicet calore in summo, removetur forma aeris³ ».

XVIII. ACCIDENS PRAEDICATUR DE SUBIECTO. Intelligendum hoc est de accidente in concreto, ut album, nigrum, et de subiecto, cui inhaeret; recte enim dicitur: cygnus est albus. Insuper de accidente in abstracto, et de subiecto, cui tribuitur, veluti generi inferiori; ut cum dicitur: co-

¹ In lib. II Sent., Dist. XXVI, q. 1, a. 2 ad 1.

² Contr. Gent., lib. III, c. 69.

³ S. Thom., Quodlibet. X, a. 4 ad 2.

lor est qualitas. Non item de accidente in abstracto , et de subiecto, cui inhaeret ; sic dici nequit : homo est sapientia. Cuius ratio est, quia disparatae species non possunt de se invicem praedicari , quemadmodum nec ea, quae generibus distant , cuiusmodi sunt homo , et sapientia.

XIX. ACCIDENS UNI NON EST ALTERI SUBSTANTIA. Accidens, et substantia, inquit s. Thomas, « non univocantur in aliquo ». Ex quo « Commentator probat , quod calor non est forma substantialis ignis, quia in corporibus calefactis est accidens¹ ». Et sane, substantia, et accidens, *formaliter*, seu essentialiter secum pugnant, et ideo id, quod est accidens, non potest esse substantia. Item, « quod in se est substantia, non potest esse accidens alicuius, quamvis coniunctio unius substantiae ad alteram possit esse accidens, et sic una substantia alteri accidentaliter advenire dicatur, sicut vestis homini² ». Accipendum autem est hoc effatum¹ de praedicato, quod utrobique univoce reperitur ; quocirca , cum scientia Deo, et hominibus univoce non tribuatur, in his est accidens, in Eo est substantia: 2º De accidente *praedicamentali*, prout distinguitur contra substantiam, nam id, quod est accidens logicum tantum et *praedicabile* respectu unius, potest esse substantia respectu alterius. Ita, cum dico, Animal est homo, *homo* accidit , *animali*; et cum dico , Petrus est homo , *homo* significat Petri essentiam, seu substantiam.

XX. ACCIDENTIA MUTANT CONDITIONEM SUBSTANTIAE. « Subiectum accidentis secundum aliquod accidens alteratur³ ». At vero , substantia quoad esse mutatur ab accidentibus, non vero quoad essentiam; sive enim calidus, sive frigidus sit Petrus, semper est animal rationale.

XXI. ACCIDENTIA SPECIEI ACCIDUNT GENERI, NON CONTRA. Adnotandum est, genus hic sumi non in sua essentia spectatum, sive prout genus est, et a suis speciebus

¹ In lib. II Sent., Dist. XII, q. I, a. 3 sol.

² In lib. III Sent., Dist. VI, q. III, a. 2 sol.

³ S. Thom., Qq. disp., *De Ver.*, q. XIV, a. 7 ad 3. Hoc effatum enunciavit etiam s. Augustinus iis verbis : « Aliae (*praeter Deum*) quae dicuntur essentiae, sive substantiae, capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna, vel quantacumque mutatio »; *De Trin.*, lib. V, c. 2, n. 3.

distinguitur , sed prout in singulis suis speciebus determinatum intelligitur; quo modo potest ei aliquid accidere, puta accidit animali esse in equo quadrupes, in homine bipes. Iam , cum totum genus in qualibet specie, certo quodam modo determinatum inveniatur, necesse est ut quidquid accidit alicui speciei , id quoque generi accidere posse dicatur ; quapropter , si concedatur aliquid esse accidens alicuius speciei, inde colligi potest illud esse accidens generis , cui illa species subiicitur. E.g., quia accidit homini esse bipedem, ideo animali quoque idem accidit. E contrario, id , quod accidens generis est, non invenitur in cunctis speciebus eius, quia cunctis speciebus alicui generi subiectis commune est illud, quod vel essentiam generis constituit, vel ipsam necessario consequitur, sed non illud, quo essentia a genere denotata in unaquaque illarum determinatur. Quocirca dici non potest aliquid accidere alicui speciei ex eo tantum , quod accidit generi: quia fieri potest, ut in alia quidem specie, non vero in hac inveniatur. E. g., quia animal quadrupes est, non sequitur etiam homini advenire esse quadrupedem.

XXII. ACTIO FIT PER CONTACTUM, vel NON DATUR ACTIO IN DISTANS¹.

XXIII. ACTIO FIT PER CONTRARIA. Intelligitur proprie de agentibus , quorum unum alterum corruptit, hoc enim fit per qualitates contrarias, puta ignis, quatenus calidus, expellit ex alio frigus. Quod si de agentibus, quatenus aliquid efficiunt , uti est, e. g., sol illuminans, praefatum theorema explicari velit, tum *to per contraria* sumendum est latiori sensu, prout nimur agens non potest aliquam formam in aliud inducere , nisi istud illa careat; e. g., sol non nisi aerem tenebrosum illuminat ; quando vero illud, in quod agens agit, perfecte simile ei fit, desinit actio². Advertendum autem est satis esse, ut in agente virtualiter tantum sit illa forma, qua illud, in quod agit, caret. Ita medicus agit in aegrotum non ratione suae sanitatis, sed quia virtute pollet gignendae sanitatis.

XXIV. ACTIO INFERT PASSIONEM. Idest, non contingit a-

¹ Vid. *Nihil agit in distans*, litt. N.

² Vid. aliud effatum, *Omne, quod fit, ex opposito fit*, seu, *Ex contrariis omnia funt*, litt. C.

liquid agere, quin aliud re, vel ratione distinctum patiatur. « Si actio, inquit s. Bonaventura, completur, infert passionem necessario¹ ». Quod explicandum est hunc in modum: Actioni transeunti passio proprie respondet, et quidem in alio, quod ab ipso agente distinguitur. Hinc, ut s. Thomas ait, « invenitur calefactio actio, et calefactio passio, et similiter creatio actio, et creatio passio² ». Passio autem, quae actioni immanentie respondet, vel consistit tantum in eo, quod ipsa in agente recipitur, qua ratione intelligere dicitur quadam passio; quod profecto de actionibus Dei, qui per ipsam suam essentiam agit, dicendum non est; vel si proprio sensu accipiatur, ipsa huiusmodi non est, « nisi per modum significandi tantum; sicut cum dicitur aliquid sciri, non ponitur aliqua passio secundum rem in scito, sed solum quidam respectus ad scientem secundum rationem, qui per modum passionis significatur a Grammatico³ ». Atque, ut exemplum a s. Augustino allatum adhibeamus, « qui excutit... si excutiat seipsum, excutiens est, quia excutit se, et excutitur a se⁴ ». Idem dicatur de iis actionibus, quae non aliud exhibent, nisi ordinem originis unius ab alio; quocirca in Divinis « non ponuntur passiones, nisi grammaticae loquendo, quantum ad modum significandi, sicut Patri attribuimus generare, Filio generari⁵ ».

XXV. ACTIO NON EST IN AGENTE, SED IN PATIENTE. Intelligendum est non de actione *immanente*, sed de actione *transeunte*. Iam, secundum aliquos, actio *transiens* ita in paciente esse dicitur, ut *originaliter*, sive ut in principio, a quo fluit, sit in agente, *subjective* autem, sive ut in subiecto, cui inhaeret, sit in paciente. Secundum alios vero, forma, quae per actionem efficitur, est in paciente, sed ipsa actio non nisi in agente, tamquam in subiecto, est; e. g., cum ignis agit in aquam, ut eam calefaciat, aliud est actio ignis, aliud calor, qui per ignis actionem in aqua producitur: illa non in alio, quam in igne est, calor vero in aqua.

XXVI. ACTIO NON FIT SINE ALIUO MOTU. Ipsa enim o-

¹ In lib. IV Sent., Dist. XII, p. 1, a. III, q. 2 *resol.*

² In lib. I Sent., Dist. XL, q. I, a. 1 ad 1.—³ Ibid.

⁴ In Ps. CXXVI, n. 10.—⁵ I, q. XLI, a. 1 ad 3.

nim operatio dicitur *motus*; nam sicut motus est actus mobilis; ita actio est actus agentis¹. Inde perspicitur istud effatum intelligendum esse de motu late sumto², nempe pro quacumque processione ab alio, quamvis non sit successiva; sunt enim aliquae actiones, quae in instanti ab agentibus procedunt, ut illuminatio solis³.

XXVII. ACTIO, QUAE EFFICIENTER PROCEDIT AB ALIUO AGENTE, NON POTEST ESSE PRODUCTIVA ILLIUS. Ratio est, quia secus idem esset prius et posterius seipso secundum idem. At vero axioma intelligendum est hunc in modum: Actio, quae efficienter procedit ab aliquo agente, non potest esse prima productio ipsius: potest tamen esse iterata eius productio, et quoad novum modum essendi. Licet enim idem non possit esse prius seipso; tamen potest aliquid tamquam primo productum esse prius seipso tamquam reproducto, seu tamquam producto quoad novum modum essendi. Quocirca, etsi transubstantiatio Eucharistica sit efficienter a Corpo Christi, seu ab Eius humanitate, uti ab instrumento Divinitati coniuncto, tamen potest Corpus Christi ex pane, et sub speciebus Eucharisticis per eam actionem produci. Nam Corpus Christi, ut primo productum, est prius seipso, ut reproducto sub novo modo essendi Sacramentali; unde idem non est prius, et posterius seipso secundum idem⁴.

XXVIII. ACTIO RECIPIT MAGIS ET MINUS. Scilicet actio non secundum se, sed secundum formas, seu qualitates, per quas fit, recipit magis et minus. E. g., calefactio ignis vividior est, quam calefactio aquae calidae, quia calor ignis est vividior calore aquae. Hinc actiones, quae fiunt per qualitates, quae non suscipiunt magis et minus, puta generare, magis et minus non recipiunt.

XXIX. ACTIONES SUNT A PROPORTIONE MAIORIS INAEQUALITATIS, seu, ACTIONES FIUNT A SUPERANTE. Scilicet, cum patiens non nisi remotam potentiam ad recipiendam actionem, vel contrariam dispositionem habet, tunc actio non consequitur, nisi agens ea polleat virtute, ut obstacula, quae in paciente occurruunt, vincere possit. Hinc ferrum

¹ I, q. XVIII, a. 3 ad 1.

² Vid. *Motus proprius acceptus*—*Improprius acceptus*, litt. M.

³ De his vid. *Motus instantaneus*—*Successivus*, litt. M.

⁴ Vid. Gonet, *Manuale Thomistarum*, t. VI, tract. IV, c. IV, § 11.